

TABULA 483.

JACQUINIA ARISTATA.

PENTANDRIA MONOGYNIA.

CHAR: ESSENT: *Cor.* 10-fida. *Stamina* receptaculo inserta. *Bacca* 1-sperma.

JACQUINIA *aristata*: v. *Jacq. Frag. Bot. fasc. V. p. 64.*
Crescit in Caracas. Floret mense Martio. ♀.

Advecta cum prioribus duabus sub titulo *Jacquiniæ crucifoliæ* fuit.
TRUNCUS diametro unciam aequat.

RAMI nullibi nodosi. *Cortex* cinereus.

FOLIA in ramis junioribus approximata, sparsa, brevissime petiolata, lanceolata, integerrima, ad oras leviter revoluta, rigida, parum venosa, glabra, facie nitida et virentia, subtus pallida, terminata mucrone longo subulato et valde pungente, qui arista vel spina dici posset. Ad ortum novorum ramorum stant paleae lineares, frutescentes, debiles, deciduae.

RACEMUS florum simplex, terminalis, erectiusculus, vel declinatus, plus minus uncialis.

PEDICELLI proprii semunciales.

CALYX viridis, inferus, quinquepartitus, obtusus, erectus, persistens.

COROLLA tota miniata. *Tubus* calyce longior, subcampanulatus. *Limbus* longitudine tubi decemfidus, patentissimus; laciniis oblongis, obtusis, interioribus quinque brevioribus.

STAMINA: *filamenta* quinque, ex fundo tubi corollae nec ex receptaculo orta, subulata, erecta, flavescencia, longitudine faucis. *Antherae* hastatae, flavae, conniventes.

PISTILLUM: *Germen* ovatum, uniloculare, monospermum, ad maturitatem non pervenit.

Ramulus florens magnitudine naturali.

1. Corolla aucta cum staminibus longitudinaliter dissecta. 2. Calyx. 3. Pistillum.